204

Idem Privilegium Gedanensibus datum Vilnae Anno 1555. Ex Archivo Regni libr 67. fol. 76.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae etc Notum facimus literis nostris etc Expositum Nobis esse ex parte Spectabilis ac Famati Senatus Gedanensis nostri, possidere jure haereditario eam Civitatem certas Villas et Pagos, possessionesq partim a Majoribus nostris donatas, partim alio legitimo juris titulo acquisitas. In quibus Coloni ea temeritate et pertinacia sint ut a Magistratu Civitatis, penes quem summum est in illos imperium, ad alios appellare non dubitent; supplicatumq Nobis esse, ut cum et Equestris Ordo et alii Nostri homines in istiusmodi villarum ac possessionum Colonos, quas haereditario et legitimo jure possident merum imperium habeant, Civitatem quoque Gedanensem in pari ratione pari jure uti ne prohiberemus. Quas illorum preces et aequas esse, et propterea admittendas putavimus, decernimusq ac decrevimus, et statuimus literis hisce nostris. Quandoquidem in suos cuiq subditos jurisdictionem salvam et integram esse oporteat, quod illarum Villarum et possessionum Colonis, quae a Civitate Gedanensi possidentur, ac jure proprietatis Civitatis sunt, nullam ad Nos appellationem Magistratus admittere deinceps habeat necesse, sed eadem ratione, qua caeteri in Prussia in suos proprios Colonos Domini jurisdictionem in illos suam nullo obsistente, legitime exerceant. In quorum fidem etc Datum Vilnae feria quinta ante Festum Sancti Mathiae Apostoli Anno Domini M.D.L.V. Regni vero nostri Anno Vigesimo sexto.